

† R. P. Nestor Thomas de Souza (1891-1945)

(Prov. S. Pauli)



Anno 1904 redemptoristae conventus Aparecidensis in civitate Nivacema, Status Rio, fructuosissimam missionem praedicaverunt. Circiter 400 uniones matrimoniales legitimatae sunt. Puer 11 annorum, libenter sacris inserviens, Nestor de Souza, ardenti desiderio motus, admissionem in coetum missionariorum sollicitavit. Intelligentia perspicaci donatus, studia gymnasialia in iuvenatu Aparecidae persolvit et a. 1909 veste religiosa indutus, die S. Michaëlis anni sequentis vota perpetua emisit. Studiis philosophicis et theologicis cum aliis clericis Brasiliae in studentatu Garsensi Bavariae se dedicavit, ibique vicissitudines primi belli Europaei expertus est. Propter deficientiam Fratrum laicorum libenter in laboribus domesticis, in aviculario etc. auxiliabatur. Sacerdotio die S. Aloisii 1915 ornatus, anno sequenti in patriam revertitur. In exordio vitae sacerdotalis instructioni iuvenistarum Aparecidae destinatus est. Postea magno cum gaudio spatio 30 annorum in laboribus apostolicis occupabatur praedicando tum numerosas populo missiones tum religiosis exercitia spiritualia. In Statibus foederatis Brasiliae S. Pauli, Minas, Goiaz et Rio Grande ob egregiam et claram expositionem veritatum et convictionem intimam, declamatione energica manifestatam, erat missionarius libenter auditus et frequenter petitus.

Superior domus nostrae Cachoeira nominatus collegium novum construxit. Gessit etiam officium Superioris domus Araraquara per triennium. Gubernavit familias religiosas sibi creditas cum prudentia. Quodsi cui forte interdum rigidior aequo apparuerit, ipse ultimis annis suae vitae deploravit manifestationes fortes temperamenti cholericici. Per aliquot annos fungebatur officio procuratoris, chronistae et archivistae Vice-Provinciae.

In vigore aetatis apparuit in aliqua missione cum papula in facie. Cum ungue digiti voluit eam avellere. Despexit inflammationem hac actione ortam. Noluit consulere medicum, applicavit medicamenta domestica. Quando confrater noster mortificatus, coactus a Superiore, medico se praesentavit, parva inflammatio in vulnus ulcerosum degenerata erat. Penicillina aliaque remedia scientiae modernae non potuerunt impedire, quominus infectio sanguinem corrumperet. Cum patientia et conformitate religiosa P. Souza percepit collapsum virium. Difficilis erat pugna inter naturam fortem, repletam voluntate se dedicandi ministerio Evangelii, et voluntatem Divinam, quae imposuit crucem doloris et quietis. Maturitatem hominis Dei assecutus est secundum verbum paulinum: *Quicumque*

† P. CAROLUS (EUGENIUS) JOHNER

119

in Christo baptizati estis, Christum induistis (Gal. 3, 27). Animo sereno et in Virginem Mariam confisus, horam extremam appropinquantem vidit die 30 Aprilis 1945. R. I. P.

G. A. HECKENBLAICHNER
